



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii  
Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio I. Nonnulla de seruitute.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

## DISPUTATIO LXXVIII.

## De seruitute Christi.

S. Thom. quest. 20.

SECTIO I. Nonnulla de seruitute.

SECTIO II. Christus non est proprie seruus Dei, etiam vt homo.

SVBSECTIO I. Probatur à definitione serui.

SVBSECTIO II. Auctoritas Adriani primi.

SVBSECTIO III. Nonnulla responsa refalsa.

SVBSECTIO IV. Responso minus mala.

SVBSECTIO V. Impugnatio prima.

SVBSECTIO VI. Impugnatio secunda.

SECTIO III. De sententia opposita.

SVBSECTIO I. Auctores.

SVBSECTIO II. Primum argumentum ex Scriptura veteri.

SVBSECTIO III. Secundum argumentum ex nouo Testamento.

SVBSECTIO IV. Duo alia argumenta.

§. 1.



CHRISTVM Patri esse subiectum res est certa: ipse enim dixit: *Pater maior me est*: item, *Factus est obediens vsque ad mortem*: Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam: item, *Ex auditus est propter suam reuerentiam*: Sicut *mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Hæc omnia significant subiectionem in Christo. Nec opus est vti adiectione; sed absolute dici potest, *Christus est subiectus Patri*, quin addatur, *Christus vt homo*; tum quia Scripturæ vtuntur absolute & sapissime ea phrasi: tum quia prædicata naturæ humanæ in concreto dicuntur de Deo, licet repugnent secundum se diuinæ, vt *Deus est homo, est mortuus*, &c. Nec est eadem ratio, quæ de hac propositione, *Christus est creatura*: quia licet in rigore non discrepent; at abusus hæreticorum nos coëgit ad hanc vitandam propter Atrium, & alios negantes Christo diuinitatem: at hac voce non ita potuerunt abuti quia significat voluntatem humanam diuinæ obedientem; illa autem voce *creatura* non ita vtuntur Scripturæ; secus hac *obediencia*, & alijs significantibus subiectionem.

## SECTIO I.

## Nonnulla de seruitute.

§. 2. Seruitus metaphoricè potest accipi, & proprie. Quod dixit Adrianus I. in epistola ad Episcopos Gallicie & Hispaniarum, quæ est ante Concilium Francfordiense vol. 3. Conciliorum. Propria seruitus est, quam disquirimus, de qua non consentiunt omnes. Metaphorica verò, quæ alicui adscribitur ob aliquam similitudinem cum propria seruitute. ita censet Adrianus Christum dictum seruum, vt dicitur agnus, lapis & leo; ob aliquam similitudinem firmitatis cum lapide, sacrificij cum agno, & fortitudinis cum leone; ita & veri pleni que corporis cum seruo, ne existimaretur corpus fuisse phantasticum, vt somniauit Marcion; aut inanine, vt Apollinaris.

§. 3. Primum seruitus proprie accepta, est quædam naturalis: cuius meminit Aristoteles I. Politicor. c. 3. & 4. est conditio, qua aliquis natus est alij obedire, & hic præcipere. Quæ seruitus vt sit etiam propria, opus est vt sit etiam qua vnus homo nascitur alterius, siue alicuius: seruus enim est homo alterius. quando ergo homo est alterius hominis natura sua, est natura seruus. Quo genere nulla est seruitus inter creaturas mutuo; est autem inter creaturam & Deum: homo enim natura sua est Dei cui natus est obedire.

§. 4. Alia seruitus est legalis, quam lex induxit: vt cum iure belli iusti, aliæque ratione honesta, vnus homo fit alterius; quo alter vtitur instrumento ad vtilitatem propriam: seruum enim Aristoteles ad-

ductus §. 3. appellat instrumentum domini; quo dominus vtitur in vtilitatem propriam, vt vtitur rebus alijs, quas possidet: quæ quia non percipiunt imperium domini, egent alio animato instrumento, quo moueantur in vtilitatem domini; seruus autem non eget alio instrumento: quia se ipso percipit, & exequitur imperium. Quod quidem vocatur *despoticum*: quia seruus vt seruus omnes suas actiones dirigit in vtilitatem domini, cui acquirit omnia quæ acquirit.

§. 5. Huic seruituti similis est, quam peccato contrahimus; qua sumus serui peccati & dæmonis. non quod dæmon verum in nos dominium acquirit, sed quia illi traduntur damnati cruciandi. Deus ratione peccati acquirit in nos nouum titulum dominij; quo potest nobiscum ex legibus agere, potestque à nobis exigere omnia nostra opera, & cogere vt inuiti patiamur supplicia: denique nobis vt pro suo libito. Propterea à Christo Domino sumus eruti à seruitute & potestate diaboli: Deus enim ratione creationis potest iustis vt pro libito; iustis autem ratione peccati integrè remissi non potest, potest autem si non sit plenè donatum.

## SECTIO II.

*Christus non est proprie seruus Dei, etiam vt homo.*

§. 6. Hæc de re latè contendunt P. Suarez disp. 44. & P. Valquez disp. 80. quos describere recentes; maximè autem Petrus Lorca totam ferè disputationem Suarianam, Abstinentium autem